

## **IN CATHEDRA SANCTI PETRI**

### **S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI**

1. --- In illo tempore: *Venit Iesus in partes Caesareae Philippi (Mt 16, 13)*. In hoc Evangelio tria notantur: Iesu Christi interrogatio, Petri confessio, ligandi et solvendi concessio.

#### **I De Iesu Christi interrogatione**

2. --- Iesu Christi interrogatio, ut ibi: *Venit Iesus*. In hac prima clausula duo moraliter notantur, scilicet sancta vita et bona fama. Sed prius historiam vel allegoriam videamus.

Caesarea Philippi est ubi Iordanis oritur ad radices Libani, et habet duos fontes, unum Ior et alterum Dan, qui simul mixti Iordanis nomen faciunt. *Et interrogabat discipulos suos*. Exploraturus fidem discipulorum, prius vulgi sententiam inquirat, ne apostolorum fides firmata videatur vulgi opinione, sed veritatis agnitione. *Quem dicunt homines*. Pulchre, qui hominum more diversas de Domino ferunt sententias, homines dicuntur. *Esse filium hominis*. Non dicit me, ne insolenter loqui videatur; de se humilitatem humanitatis profitetur. *At illi dixerunt: Alii Ioannem Baptistam etc.* (Mt 16, 14). Opinio de Ioanne ideo fortasse erat, quia in matris utero positus Domini praesentiam senserat; de Elia, quia raptus est ad caelum, et venturus creditur (Cf. Mt 17, 10-11); de Ieremia, quia in matris utero fuit sanctificatus.

3. --- *Venit Iesus in partes Caesareae, quae*

interpretatur possessio principis vel possessio principalis, *Philippi*, qui interpretatur os lampadis. Venit Christus; venias et tu, christiane, in partes Caesareae. Princeps dictiis, quod primus capiat locum vel dignitatem, est hominis spiritus, cuius possessio, corpus, in quo primum locum et dignitatem debet capere, de quo Isaias XXXII: *Princeps ea quae sunt digna principe cogitabit, et ipse super duces stabit (Is 32, 8)*. Nota ista duo: *cogitabit, et stabit*. Ecce dignitas et locus, quem primus debet capere. Quae sunt illa digna principe, quae debes cogitare, o princeps, hominis spiritus, nisi ut ad te ipsum redeas, ad cor tuum intres, et ibi discutias: quid sis, quid fueris, quid esse debueris, quid esse poteris? Quid fueris per naturam, quid modo sis per culpam, quid esse debueris per industriam, quid adhuc esse possis per gratiam. Duces sunt affectiones et cogitationes, super quas debet stare, ut possit affectionibus dominari et cogitationibus imperare, ut illas ab illicita concupiscentia et istas ab inepta valeat evagatione restringere. *Venit ergo in partes*, in quibus sensus corporis designantur, in quos venit vel intrat hominis spiritus, cum dicit huic: *Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit; et servo suo, corpori: Fac hoc, et facit.*

Et nota quod, iste princeps, cuius est possessio, os lampadis nominatur. In lampade sunt quattuor: vitrum splendens, oleum fovens, stuppa et flamma. In vitro, puritas conscientiae; in oleo, compassio necessitatis fraterae; in stuppa, asperitas contritionis; in flamma, ardor divini amoris. Felix ille spiritus, beatus ille christianus, qui est os istius lampadis: ut quando loquitur, ex puritate, compassione, contritione, Dei amore loquitur. Et nota quod, Caesarea, idest caro nostra, debet esse sita ad radices Libani, ubi Iordanis oritur. Mons Libani, qui interpretatur candor, est excellentia castitatis, cuius radix humilitas, de qua oriuntur duo fontes: Ior, qui rivus, Dan, qui iudicium interpretatur, qui simul mixti faciunt

Iordanem, idest rivum iudicii, idest compunctionem lacrimarum, quibus se iudicat et quod male egit condemnat. Ecce quanta virtus humilitatis, ex qua mons castitatis surgit, et rivus compunctionis procedit. Qui sic venit in partes Caesareae Philippi, bene potest interrogare discipulos suos, dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis?*

4. --- Discipulus dictus, quod disciplinam discat; qui bonus est in se, suam familiam habet et debet habere bene disciplinatam et honestam, ut possit dicere cum David: *Oculi mei ad fideles terrae, ut sedeant mecum etc.* (Ps 100, 6). Qualis quisque est, talium consortio delectatur. Et quia crudelis est qui famam suam spernit, ideo interrogat, ut certior fiat et si quid corrigendum est emendet, quid homines de se dicant. Et quia de vitae sanctitate et bonae famae opinione solet surgere elatio, ideo se filium hominis nominat, de quo Iob XXV: *Homo putredo, et filius hominis vermis (Iob 25, 6)*. Ac si diceret: Putredo de putredine nascitur. Et ideo Dominus, quando Ezechieli magna ostendebat, filium hominis, ne superbiret, vocabat (Cf. Ez passim). Qui se vermem credit, de se in nullo superbit. Interrogat ergo: Quid de me verme putredine dicunt homines ?

Utinam ei respondeatur: *Alii Ioannem Baptistam*. Ioannes Evangelista et Ioannes Baptista: illius est officium annunciare, istius lavare: illud bonum, sed istud securius, quia veritas securius auditur quam praedicatur. Item, evangelista est qui verbis tantum orat; baptista, qui de se sibi baptisterium lacrimarum facit in silentio et devotione mentis; et iste, longe illo melior. Et isti evenit quod dicitur de Baptista: *Vinum et siceram non bibit (Lc 1,15)*: vinum, vanagloria; sicera, inepta laetitia; quae non bibit, quia laudes hominum non quaerit.

*Alii Eliam*, de quo quarto Regum I dicitur, quod erat

*pilosus et zona pellicea accinctus renibus (4 Reg 1, 8).* Ecce habitus poenitentis, mundum contemnentis et carnem affligentis. Elias interpretatur robustus dominator. Unde de eo dicitur tertio Regum XVIII, quod apprehendit prophetas Baal, et duxit eos ad torrentem Cison et interfecit eos ibi (Cf. 3 Reg 18, 40). Baal devorator, Cison vir vomens dolorem interpretatur. Elias, poenitens pilosus contra mundi gloriam, accinctus renibus contra carnis luxuriam. Iste, velut robustus dominator, apprehendit prophetas ventris, qui omnia devorat. Venter habet quosdam prophetas, qui annunciant homini: Quare ita ieiunas? Quid sic te affligis? Infirmittatem incurres; ad tantam debilitatem devenies, quod nec te nec alios poteris adiuvare. De his Ieremias in Threnis II: *Prophetae tui viderunt tibi falsa (Lam 2, 14)*. Istos vero poenitens in contritione comprehendit et ad lacrimosam confessionem adducit, ubi omnem dolorem tentationis et peccati evomit, et sic ibi eos interficit.

*Alii Ieremiam, cui Dominus: Ecce, inquit, constitui te, ut evellas quod male plantatum est, et destruas quod male aedificatum est, et disperdas quod male congregatum est, et dissipas saepem, et aedifices domum, et plantes hortum (Ier 1, 10).* Carnis concupiscentia male plantat, unde Deuteronomio: Non plantabis nemus iuxta altare Dei tui (Cf. Deut 16, 21), de quo Apostolus: Habemus altare, de quo non possunt edere qui tabernaculo, idest corpori deserviunt. Dicitur tertio Regum XXI: *Locutus est Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam ut faciam mihi hortum olerum (3 Reg 21, 2)*. Achab, diabolus; Naboth, iustus; vinea, compunctio; hortus olerum, concupiscentia gulae et luxuria. Diabolus vult auferre iusto mentis compunctionem et plantare carnis concupiscentiam. Item, superbia male aedificat, unde Parabolis XVII: *Qui altam facit domum suam, quaerit ruinam (Prov 17, 16)*. Avaritia male congregat, unde Habacuc II: *Vae qui congregat*

***avaritiam malam domui suae, ut sit in excelso nidus eius, et liberari se putat de manu mali! (Hab 2, 9).*** Ad hoc avarus congregat, ut in excelsum nidum, idest statum, suum et suorum ponat; qui dum secure stare credit, diabolus laqueum ibi tendit et patrem cum pullis, idest usurarium cum filiis suis, capit et interficit. Item, pertinacia saepem facit, unde Nahum III: ***Parvuli tui quasi locustae locustarum quae confidunt in saepibus in die frigoris (Nah 3, 17).*** Locustae sunt usurarii, qui parvulos suos docent usuram facere et quasi saltum de usura in usuram dare. Isti in frigore suae malitiae confidunt in saepibus pertinaciae, quia nec aliena restituere nec ad poenitentiam volunt redire.

Vere ille est Ieremias, idest excelsus Domino, qui ista quattuor non tantum in se sed etiam in aliis extirpat, et domum humilitatis, in qua Deus quiescat, aedificat, et hortum caritatis, in quo pascit, plantat. De domo humilitatis dicit Dominus Luca XIX: ***Zachaeae, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere (Lc 19,5).*** In domo descendentis, idest conscientia se humiliantis, manet gratia Omnipotentis. De horto caritatis dicit sponsa in Canticis V: ***Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum (Cant 5, 1).*** Hortum et poma dilecti esse dicit, quia quidquid ibi plantatur et nascitur totum est ex gratia Christi. Poma sunt caritatis opera, quae toties Christus comedit quoties ea proximus recipit. ***Esurivi, inquit, et dedistis mihi manducare (Mt 25, 35).***

***Aut unum ex prophetis.*** Officium prophetae est futura praedicere. Ille est bonus propheta, qui sibi praenunciat vitae suae exitum, iudicis adventum, caelestis regni praemium. Felix ille, qui tali fama laudatur, cui tale vitae testimonium perhibetur, ut sit Ioannes Baptista in devotione, Elias in carnis mortificatione, Ieremias in vitiorum eradicatione et

virtutum plantatione, unus ex prophetis in futurorum praenunciatione.

## II - De Petri confessione

5. --- Petri confessio, ut ibi: *Didit eis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? (Mt 16, 15)*. Quasi diceret: Illi homines sunt, humana opinantes; vos, dii, quem me esse dicitis? *Respondens Petrus*, unus pro omnibus, omnes enim unum sciebant: *Tu es Christus, Filius Dei vivi (Mt 16, 16)*. In hac confessione complexus est humanam et divinam naturam. Christus enim a chrismate est dictus, idest unctus, quia Spiritu Sancto, in eo quod homo, a Deo Patre est unctus. *Unxit te, "o" Deus Fili, Deus Pater tuus (Ps 44, 8)*. Unde Isaia XLV: *Haec dicit Dominus christo meo Cyro (Is 45, 1)*, qui interpretatur heres, idest filius. Cuius? *Dei vivi*. Nota quod chrisma fit ex balsamo.

Dicitur in NATURALIBUS, quod locus generationis balsami oculus solis nuncupatur, et lignum suum vitis dicitur, quia se habet ad similitudinem vitis; et eius liquor pannum oculi abstergit, et rigores febrium tollit. Cum eius liquor elicatur, in solo cortice vulneratur, ex quo eximiae suavittatis gutta manat. Duplex est Christi generatio, una divinitatis et altera humanitatis, et quaelibet, oculus solis. De prima Isaias LIII: *Generationem eius quis enarrabit? (Is 53, 8)*. Unde Iob XXVIII: *Unde sapientia veniet? et quis est locus intelligentiae? Abscondita est ab oculis viventium, volucres quoque caeli latet (Iob 28, 20-21)*, idest: ipsis angelis est incognita generatio Christi ex Patre. Unde Ecclesiastico I: *Radix sapientiae cui revelata est? (Eccli 1, 6)*. Origo videlicet Filii Dei? Ideoque, quod est super angelorum intelligentiam atque scientiam, quis hominum potest enarrare? ISIDORUS: Scire, inquit, manifestum est solum Patrem, quomodo genuerit Filium, Filium, quomodo genitus sit a Patre. Christus enim a Patre ita emicuit, ut splendor a lumine, ut verbum ab ore, ut

sapientia ex corde. Generatio ergo divinitatis dicitur oculus solis, quia illuminat totam triumphantem Ecclesiam, caelestem Ierusalem. Unde Apocalypsi XXI: *Claritas Dei illuminat eam, et lucerna eius est Agnus (Apoc 21, 23).*

Generatio humanitatis dicitur oculus solis, quia fide suae incarnationis illuminat totam Ecclesiam militantem. Unde Zacharia IX: *Dominus est oculus hominis et omnium tribuum Israel (Zach 9, 1)*, qui interpretatur vir videns Deum. Quantum credis tantum vides. *Erat, inquit, lux vera quae illuminat omnem hominem, non quod omnem, sed quia nullus sine illo illuminatur, venientem in hunc mundum (Io I.c.)*, idest: omnis homo, qui in hoc mundo nascitur, non nisi per fidem Christi ad vitam aeternam illuminatur, qui dicit Ioanne XV: *Ego sum vitis vera (Io 15, 1).*

6. --- Vitis dicta, quod vim habet citius radicandi, vel invicem se innectit. Dicitur in NATURALIBUS, quod vitis abundat in ramis, cum quibus ligat se per involuptionem ramis alterius arboris; et proprium vitis est inter omnes alias arbores, quod ex una parte in uno nodo rami sui exit folium, in alia parte racemus plenus uvis; et proprium est vitis, quod caules plantatae ad radicem eius desiccant eam. Vitis est fides Christi, quae vim habet cito radicandi in corde hominis. Radicati et fundati, inquit Apostolus, in Christo Iesu etc. (Cf. Eph 3, 17). Haec ramos caritatis extendit et alios sibi innectit; folium praedicationis habet ex una parte, racemum boni operis, plenum musto dilectionis, ex alia parte. Caules, idest curae temporales vel illecebrae carnales, desiccant humorem, idest devotionem fidei.

Item, lignum balsami in cortice vulneratur. Cortex, Christi humanitas, ex cuius vulnere emanavit liquor mirae suavitatis, idest sanguis pretiosus, qui pannum

infidelitatis de oculo cordis abstergit et rigores febrium, idest tentationum, tollit, quia memoria Crucifixi vitia crucifigit. *Tu es ergo Christus, Filius Dei vivi.*

*Respondens Iesus, dixit ei, in Petro omnibus respondit: Beatus es, Simon Bar Iona etc. (Mt 1.c.)* Bar filius, Iona columba interpretatur. Petrus bene filius columbae dicitur, quia pia simplicitate Dominum sequebatur, vel quia plenus spirituali gratia erat. Filius Spiritus Sancti dicitur, qui ostensus est in columba ab eo, quem Filium Dei vivi vocaverat, et filio columbae Pater revelat misterium fidei, quod caro et sanguis non potuit revelare, idest homines carnali sapientia inflati, qui non columbae filii, et ideo a sapientia spiritus alieni. De quibus Abdia I: *Perdam sapientes de Idumaea, et prudentiam de monte Esau (Abd 1, 8).* Ecce caro et sanguis. Idumaea, sanguinea; Esau acervus lapidum interpretatur. Tota huius mundi sapientia et prudentia est carnem nutrire, et acervum lapidum, idest pecuniarum, facere, quibus lapidabuntur in die iudicii.

### III - De ligandi et solvendi concessione

7. --- Ligandi et solvendi concessio, ut ibi: *Et ego dico tibi quia tu es Petrus (Mt 16, 18).* Nota quod Petrus trinomius fuit, scilicet Simon, qui interpretatur obediens, Petrus agnoscens, Cephas caput. Simon fuit in Christi vocatione: *Venite, inquit, post me. At illi, relictis retibus etc. (Mt 4, 19-20).* Petrus, in hodierna confessione, qua agnovit Christum filium Dei vivi, et ideo meruit audire: *Tu es Petrus.* Non dico vocaberis, sed tu es Petrus a me petra, ita tamen ut mihi retineam fundamenti dignitatem. Quia *fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus (1 Cor 3, 11),* super quem aedificata est Ecclesia.

*Et super hanc, inquit, petram aedificabo Ecclesiam*



*meam (Mt l.c.),* et ideo non est ei timendum si descenderit pluvia, idest persecutio diabolica, si venerint flumina, idest pravitas haeretica, si flaverint venti, idest rabies saeculi, et irruerint in domum istam, quia fundata est supra firmam petram (Cf. Mt 7,. 25). Unde in libro Numeri XXIV: *Robustum est quidem habitaculum tuum, sed si in petra posueris nidum tuum et fueris electus de stirpe Cain (Num 24, 21-22),* qui interpretatur callidus vel calidus, idest diabolus, qui sua calliditate calore vitiorum succendit animas peccatorum, qui eum habebunt tortorem in poena, quem habuerunt incentorem in culpa.

*Aedificabo, inquit, Ecclesiam meam.* Nota quod, Ecclesia dicitur triumphans et militans Ecclesia et fidelis anima. Primam aedificat beatis spiritibus, secundam fidelibus, tertiam virtutibus; et ideo dicitur caementarius, unde Amos VII: *Ecce, inquit, Dominus stans super murum litum, et in manu eius trulla caementarii (Am 7, 7).* Trulla dicta, quod trudat, idest includat, calce lapides, qua et liniuntur parietes. Unde murus litus, idest in superficie linitus, dicitur. Trulla est Dei potentia, qua triplicis Ecclesiae murum aedificat et explanat, ut nihil ibi inordinatum, nihil concavum, nihil gibbosum, sed omnia plane et de plano fiant. *Omnia, inquit Apostolus, in caritate fiant (1 Cor 16, 14),* quae est caementum ceterarum virtutum. Et nota quod, Dominus stat super murum Ecclesiae propter tria, scilicet ut ipsam aedificet, ex ipsa et pro ipsa adversarios impugnet, et ipsam protegat.

*Et ideo portae inferi non praevalent adversus eam (Mt 16, 18).* Portae inferi sunt peccata, minae vel blandimenta, quae non possunt praevalere, idest separare Ecclesiam a fide et caritate, quae est in Christo Iesu. Qui enim in intimo cordis amore fidem Christi percipit, quidquid ingruit extra facile vincit. Aliter. Porta dicta, quod aliquid inde exportetur; inferus, quod animae

inibi feruntur. Portae inferi dicuntur corporis sensus, per quos peccatrix anima exportatur ad ista inferiora appetenda. Unde Isaias XXII: *Ecce Dominus asportari te faciet*, idest permittet, *sicut asportatur gallus gallinaceus (Is 22, 17)*. Sicut vulpis fraudulenta asportat caponem per gulam ad suam caveam, sic fallax carnis concupiscentia asportat per sensus corporis animam ad ista inferiora. Sed si fuerit aedificata super Christi amore, adversus eam non poterunt praevalere.

8. --- Sequitur: *Et tibi dabo claves regni caelorum (Mt 16, 19)*. Ecce Cephas in capite apostolorum et Ecclesiae constitutus. Dicitur quod hodie Christus apostolos interrogavit, et Petrus pro omnibus fidem universalis Ecclesiae confessus fuit. Et hodie ei Dominus ligandi et solvendi potestatem concessit, et ideo ista dies nominatur CATHEDRA SANCTI PETRI. Qui prae ceteris confessus est, prae ceteris donatur clavibus. Claves sunt discernendi scientia et potentia, qua dignos recipere, indignos debet excludere a regno. Unde subdit: *Et quodcumque ligaveris*, idest, quem in peccatis persistentem aeternis poenis adiudicaveris, vel quem humilem et vere poenitentem absolveris, sic erit et in caelis. GLOSSA HIERONYMI: *Et quodcumque ligaveris*. Habent quidem eandem iudicariam potestatem alii apostoli, quibus post resurrectionem ait: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt (Io 20, 23)*; habet etiam omnis Ecclesia in presbyteris et episcopis; sed ideo Petrus specialiter eam accepit, ut omnes intelligant, quod quicumque ab unitate fidei et societate eius se separaverit, nec a peccatis solvi nec caelum potest ingredi. Hunc locum quidam non intelligentes, aliquid sibi sumunt de supercilio pharisaeorum, ut damnare innoxios vel solvere noxios se putent, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quaeratur. Unde in Levitico ostendere se sacerdotibus iubentur leprosi, quos

illi non faciunt leprosos, sed discernunt qui mundi vel immundi sunt, ita et hic.

Precibus ergo beati Petri, nos Dominus a peccatorum vinculis absolvat et regnum caelorum nobis aperiat, qui est benedictus in saecula. Amen.

#### IV - Sermo allegoricus

9. --- *David, sedens in cathedra, sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus (2 Reg 23, 8)*. Haec auctoritas, secundo Regum XXIII. David, qui interpretatur manu fortis, est Simon Petrus, cui Christus a se petra nomen Petri dedit; qui, cum manum extendit et omnia reliquit, fortis manu fuit. Avarus debilem habet manum, quia contractam et aridam. Unde Matthaeo XII: *Et ecce homo manum habens aridam (Mt 12, 10)*. Cui dixit Dominus: *Extende manum tuam. Et extendit; et restituta est sanitati (Mt 12, 13)*. GLOSSA ibi: Nil plus valet curationi quam eleemosynarum largitas, quia frustra pro peccatis rogaturus ad Deum manus expandit, qui has ad pauperes pro posse non extendit. Petrus ergo *sedens in cathedra, sapientissimus*. Dicitur, Actus IV: *Videntes Petri constantiam et Ioannis, comperto quod homines essent sine litteris et idiotae, admirabantur; et cognoscebant quoniam cum Iesu fuerant (Act 4, 13)*. Non est mirum si Petrus idiota dicitur sapientissimus, quoniam cum Iesu, Patris sapientia, fuit, quem plus aliis dilexit, in cuius schola sapientiam non mundi sed caeli didicit. Qui cum sapientia graditur sapiens efficitur. Petrus non erat ille litteratus, de quo Isaia XXXIII: *Ubi est litteratus? Ubi verba legis ponderans? Ubi est doctor parvulorum? (Is 33, 18)* de quo Apostolus: *Alium doces, teipsum non doces. Qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras (Rom 2, 21.23)*. Petrus erat idiota terrae, sed sapientissimus caeli; cuius hodie claves suscepit, et in

cathedra, idest iudiciaria potestate ligandi atque solvendi, sedit. Sedit etiam in cathedra materiali, Antiochiae et Romae, in qua eius hodie cathedra populo demonstratur.

*Princeps inter tres.* Tres, inter quos princeps apostolorum in cathedra sedit, fuerunt triplex fidei constantia. Prima fuit in hodierna confessione: *Tu es, inquit, Christus* etc. Secunda, in praedicatione, unde: *Oportet obedire Deo magis quam hominibus (Act 5, 29).* Tertia, in sua passione.

*Ipsa est quasi ligni tenerrimus vermiculus.* Nota quod, verme nihil mollius cum tangitur, nihil fortius cum tangit. Sic beatus Petrus. Nullus eo mollior, idest patientior, cum flagellabatur, cum crucifigebatur; unde informabat discipulos, epistola prima III: *Modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto* etc. (1 Pt 3,8-9). Cum vero tetigit, nullus eo fortior; unde dicit Ananiae, Actus V: *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, et fraudare de pretio agri? Non es mentitus homini sed Deo. Audiens Ananias haec verba cecidit et expiravit (Act 5, 3-5);* et Simoni Mago: *Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditione (Act 8, 20).* A qua ille nos liberet, qui Petro dedit ligandi et solvendi potestatem. Amen.

## V - Sermo moralis

10. --- *David, sedens in cathedra.* Simile quid in Ecclesiastico: *Rex qui sedet in solio, dissipat omne malum intuitu suo (Prov 20, 8).* David, idest vir iustus vel poenitens, est manu fortis. Unde Genesi, de Ismaele, XVI: *Hic erit ferox homo: manus eius contra omnes et manus omnium contra eum; et e regione fratrum suorum figet tentoria (Gen 16, 12).* Ubi nos habemus *ferus*, hebraeus habet *phara*, quod sonat *onager*. In quo poenitens

notatur, qui in agro poenitentiae portat pondus diei et aestus; cuius *manus*, idest opera, *contra omnes* daemones; *et manus omnium* daemonum *contra eum*. Ut bene tu pugnes, bene pugnans efficit hostis. *Et e regione*, idest ex adverso, *fratrum*, idest motuum vel corporis sensuum, *figet*, idest firmiter stabiliet, *tentoria* poenitentiae, paratus eis semper contradicere.

Et unde huic tanta fortitudo? Utique ex cathedra. *Sedens*, inquit, *in cathedra sapientissimus*. Sapientia est rerum quae sunt, sui que immutabilem substantiam sortiuntur. Sapiens dictus a sapore, quia sicut gustus sumptus est ad discretionem saporis ciborum, sic sapiens ad dignoscentiam sapidi et insipidi, mali et boni. Poenitens ergo, vel iustus, est sapiens in plangendis malis praeteritis, sapientior in praecavendis insidiis, sapientissimus in degustandis aeternis bonis. Hic sedet in cathedra. Cathedra, excelsa sedes iudicis, est ratio, quae et solium, quasi solidum, dicitur, in quo qui sedet omne malum diaboli, carnis et mundi dissipat intuitu suo. Ratio est aspectus animi, quo per seipsum non per corpus, verum intuetur; aut est ipsa veri contemplatio non per corpus; aut etiam est ipsum verum quod contemplatur.

Vel, cathedra est mortis memoria, in qua sedet, idest se humiliat. Non enim potest aliquis navem suam bene regere, nisi in ultimam eius partem sedem suam studeat collocare. Navis, principio et fine stricta, sed medio lata, est hominis vita, quae in ingressu et egressu est valde stricta, quia misera et amara, sed medio est lata, quia vaga et lasciva. Nemo eam bene potest regere, nisi in memoria mortis se studeat humiliare. Et attende, quod dicit *sapientissimus*. Gubernator, qui sedet in puppi, parte scilicet navis posteriore, est et debet esse omnium sapientissimus, quia omnes videt, omnibus praevidet, pigros excitat, laborantes confortat, in tempestate aeris temperiem, magis quietem, promittit, spe boni portus

laetos facit. Sic, qui in memoria mortis se humiliat, totam vitam suam bene disponit, circumcirca conspicit; pigritiam excutere, se in labore confortare, in adversitate de Domini misericordia sperare, et ad portum vitae aeternae vitam suam dirigere bene novit.

11. --- Et ideo, *sapientissimus princeps inter tres*, in quibus contritio, confessio, satisfactio designantur. De his tribus dicitur primo Regum X, ubi loquitur Samuel ad Saul: *Cum veneris, inquit, ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres haedos, et alius tres tortas panis, et alius portans lagenam vini (1 Reg 10, 39.* Quid quercus Thabor, quid tres viri, quid Bethel, quid tres haedi et tres tortae panis, et lagena vini significant, videamus.

Quercus dicta, quia antiqui in ea victus quaerebant, idest glandes, quibus homines prius utebantur. Thabor interpretatur veniens lumen. Quercus est poenitentia, in qua antiqui patres quaerebant victum animae, idest veniens lumen divinae gratiae. Ibi venit caeleste lumen, quod ostendit homini se et sua, quae prius non videbat. *Cum ergo veneris ad poenitentiam, invenient te ibi tres viri ascendentes*, idest ascendere facientes, *ad Deum in Bethel*, quae interpretatur domus Dei, idest caelestem Ierusalem. Contritio portat tres haedos, in quibus triplex notatur peccati foetor, scilicet conscientiae, personae et famae. Poenitens debet in contritione dolere, quia corrumpit propriam conscientiam per consensum, personam per actum, famam per malum exemplum.

Item, confessio portat tres tortas panis, in quibus tria genera lacrimarum notantur: *Fuerunt, inquit, mihi lacrimae meae panes die ac nocte (Ps 41, 4).* Et bene lacrimae dicuntur tortae, quia per tortionem cordis habentur. Unde dicuntur lacrimae a laceratione mentis. Panis dictus, quod cum omni cibo ponatur, vel quod eum

omne animal petat. Cum omni cibo animae nostrae debemus compunctionem ponere, quia omne opus, insipidum sine devotione; quam a Deo quotidie petimus et petere debemus, quia quotidie indigemus: *Panem nostrum quotidianum* etc. (Lc 11, 3). Peccator ergo debet in confessione flere, quia stolam baptismalis innocentiae foedavit, quia gehennam acquisivit, quia vitam aeternam perdidit.

Item, satisfactio portat lagenam vini, in quo hilaritas satisfactionis designatur, quae non cum pusillanimitate vel pigritia debet fieri: *Hilarem enim datorem diligit Deus (2 Cor 2, 7)*. Ieiunium et eleemosyna debent fieri cum hilaritate, oratio cum spe divinae misericordiae. In his enim tribus satisfactio consistit. Felix ergo ille poenitens, sui princeps, in cathedra rationis sedens, vel in memoria mortis se humilians, qui sic erit inter istos tres.

12. --- Sequitur: *Ipse est quasi ligni tenerrimus vermiculus*. Nota quod, vermis tria facit: semper est in motu; caput elevat, ut viam videat per quam se melius trahat; seipsum abbreviat, ut longius se extendat. Sic iustus: semper est in opere. HIERONYMUS: Semper, inquit, aliquid operis facito, ut te diabolus inveniat occupatum, quia *multam malitiam docuit otiositas (Eccli 33, 29)*. Quaeritur Aegisthus, quare sit factus adulter. In promptu causa est: desidiosus erat. Dicitur in NATURALIBUS, quod ex otiositate superfluitates crescunt in corpore. Sic et in anima. Sed labor consumit superfluitates, quoniam est ex eis quae faciunt multum evaporare. Dicitur etiam, quod omnes species plantarum si non fuerint cultae silvestrescent. Item, caput, idest mentem elevat, ut oculo discretionis viam suae actionis videat, per quam ad Deum se melius trahat. *Oculi, inquit, sapientis in capite eius (Eccle 2, 14)*, idest lumen discretionis in mente, *et palpebrae tuae praecedant gressus tuos (Prov 4, 25)*. Item, humilitate se abbreviat, ut usque ad vitam

aeternam se extendat. Quam nobis praestare dignetur, qui est benedictus in saecula. Amen.

## VI - Sermo allegoricus

13. --- *David, sedens in cathedra.* David, qui interpretatur pulcher aspectu, est Christus, qui in cruce, manibus affixis, aereas potestates debellavit, in cuius aspectus pulchritudine angeli desiderant prospicere, quia, ut dicitur in Apocalypsi I, *facies eius sicut sol lucet in virtute sua (Apoc 1, 16)*. Iste *sedit*, idest se humiliavit, *in cathedra*, idest in cruce, *sapientissimus*, quia sapientia Dei Patris, in qua omnia fecit. Simile quid tertio libro Regum IV: *Erat Salomon sapientior cunctis hominibus, et disputavit super lignis, a cedro quae est in Libano usque ad hyssopum quae egreditur de pariete (3 Reg 4, 31.33)*. Salomon, Christus, *omnibus sapientior*, quia ipsa sapientia de qua Ecclesiasticus I: *Sapientiam Dei praecedentem omnia quis investigavit? Prior omnium creata est sapientia. Fons sapientiae verbum, idest filius, Dei, in excelsis (Eccli 1, 3-5)*, a quo, velut aqua a fonte, omnis sapientia derivatur.

Hic, *sedens super lignis crucis, disputavit a cedro Libani*, idest altitudine divinitatis, *usque ad hyssopum*, idest humilitatem suae humanitatis, *quae egressa fuit de pariete*, idest beata Virgine, de quo Isaia XXXVIII: *Convertit Ezechias faciem suam ad parietem, et flevit fletu magno (Is 38, 2-3)*. Promissio facta fuerat David, quod de semine eius Christus nasceretur, sed, quia Ezechias videbat se mori sine herede, credidit quod promissio de Christo cassaretur; *et ideo flevit fletu magno et convertit faciem*, idest mentis intuitum, *ad parietem*, idest beatam Virginem, quam super omnia desiderabat de semine suo nascituram, ut ex ea Christus nasceretur. Maxima fuit in cruce Christi sapientia, quae cepit diabolus hamo divinitatis, dum voluit capere escam



humanitatis, unde Iob XXVI: *Prudentia eius percussit superbum (Iob 26, 12)*.

14. --- Sedit ergo *in cathedra princeps inter tres*. Ita intellige, ut ipse sit unus ex tribus: Dismas et Gestas, in medio divina potestas. Unde Iohannes: *Crucifixerunt cum eo alios duos hinc et inde, medium autem Iesum (Io 19, 18)*. Ecce qualiter sedit, quomodo se humiliavit princeps angelorum: ac si esset latro crucifigitur in medio latronum. Unde de ipsius humilitate adhuc sequitur: *Ipse est quasi ligni tenerrimus vermiculus*.

Nota quod, vermis tria facit, scilicet ore se trahit; lignum, in quo est, quando comburitur, fortiter clamat; nihil eo mollius, cum tangitur; nihil fortius, cum tangit. Sic Christus ore proprio, Iudaeorum arguens malitiam, se traxit ad crucem. Veritas parit odium, et ideo sustinet patibulum. Item, de ipso legitur: Scarabaeus de cruce clamat. 'Scarabaeus est animal modicum, volatile, cui summo sunt vertice oculi. Sic Christus, modicus humilitate, volatilis ipsa divinitatis potentia: *Volavit, volavit*, inquit, *super pennas*, idest virtutes, *ventorum (Ps 17, 3)*, idest angelorum et sanctorum: *Caput Christi, Deus (1 Cor 11, 3)*; habet oculos in summo capite, quia ex virtute divinitatis omnia prospicit, cuius oculis nulla creatura invisibilis. Hic, quando in ligno crucis igne Passionis ardebat, fortiter clamabat: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (Lc 23, 46)*. Item, nullus eo patientior, humilior, cum flagellabatur, spinis coronabatur, colaphis caedebatur; nullus eo fortior, cum in iudicio sententia irrevocabili diabolum cum omnibus membris suis praecipitabit in infernum. A qua nos liberet ipse, qui est benedictus in saecula. Amen.

## VII - Sermo moralis

15. --- *David, sedens in cathedra* etc. David, qui

interpretatur misericors, est quilibet Ecclesiae praelatus, qui ad hoc est electus, ut aliis triplici misericordia misereatur. Unde dictum est Petro ter: *Pasce (Cf. Io 21, 15-17)*, nec semel est dictum ei: *Tonde*. Pasce verbo praedicationis, suffragio devotae orationis et beneficio temporali. Iste sedet in cathedra ecclesiasticae dignitatis, et utinam sapientissimus illa sapientia, de qua dicit Iacobus III: *Quae desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, iudicans sine simulatione (Iac 3, 17)*. Ecce septem gradus, quibus praelatus debet ascendere in cathedram. In septem, inquit Ezechiel, gradibus ascensus eius. Vita praelati debet condiri sapientia, quae desursum est, ut primum sit pudica mentis munditia quoad se, pacifica quoad subditum, ad quem reconciliandum tam Deo quam suo proximo est in cathedra positus; modesta, morum honestate; suadibilis, idest suaderi habilis; bonis consentiens, affectu et effectu; plena misericordia. Ecce David misericors circa pauperes, quorum est quidquid habet, retenta tantum necessitate, alioquin rapina pauperum in domo eius, et ideo tamquam raptor iudicandus. Vel, plena misericordia in animi compassione, et fructibus bonis in operis executione; iudicans sine simulatione, ut in iudicio personam non accipiat; vel mensuram poenitentiae, qua alios iudicat, sibi ipsi tribuat, quia *pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile Deo (Prov 20,10)*, et *mensura minor irae plena (Mich 6, 10)*.

Sequitur: *Princeps inter tres*. Qui sunt vita, scientia et eloquentia, quae principaliter debent praelatum munire. Vita pura, scientia sana, eloquentia expedita. Sed, heu! hodie vita immunda, scientia caeca, eloquentia muta. *Ipsa est quasi ligni tenerrimus vermiculus*. GLOSSA ibi: David in pressuris et domi et circa subiectos mansuetior fuit ceteris; in throno et contra hostes nullus eo acutior. Et

**commendatur hic David in tribus, idest sapientia, humilitate et fortitudine. Talis debet esse praelatus, qui sibi populum commissum bene vult regere. Quod ei praestare dignetur, qui est benedictus in saecula. Amen.**